

& ratio æquitatis , & decori , quo officii di-
ctio comitata esse debet , unicuique persuadere debet .

De eo etiam assentior Navarro , in lib.
de orat. & horis can. c. 16. numer. 73. qui
psalmum unius horæ , aut quid aliud pro-
nuntiasset , nec totam horam absolvisset ,
animùmque ad quodpiam aliud negotium
convertisset , eo consilio , ut postea ad in-
choandam iterum eamdem horam illam
referret , officii celebrandi legi illum hand
satis esse facturum , nisi mutilata horæ re-
petito exordio : Nam actus , inquit Na-
varrus , ultra intentionem agentis non ex-
tenditur . l. non omnis . ff. Si certum peratur ,
& l. in agris . ff. de acquirendo rerum domi-
nio. posterior lex magis ad rem facit .

Quod si intermissum officium esset non
animo eadem iterandi , iterare non esset opus ;
quamvis mala fuisset intermissio . l. Conti-
nuus , in principio . ff. de verborum obligat .
Conclusionem puto veram , quamvis non re-
ctè probatam : quia lex illa loquitur de stip-
ulationis contractu ; ad cuius naturam per-
tinet non interrupsi .

QUESTIO LXVII.

INTEGRITATEM divini officii tolli , si quis il-
lius verba dicendo concidat , delumbet-
que sententias ; quod in facris Canonibus ,
Doctorumque scriptis syncopare nuncupatur ,
constat inter omnes . Paludanus , in 4.
dist. 15. quest. 5. art. 2. conc. 5. sic præci-
pit de oratione , quæ præstari solet à clericis
in ecclesiasticis horis : Debet esse integra , ut
nihil de eo furetur syncopando , omittendo ,
nimis festinando : unde tenetur redicere , qui
notabiliter malè dixit . & Navarrus in En-
chiridio de oratione , c. 10. num. 9. idem
sequitur ; & sequuntur omnes : qui enim
ejusmodi syncopa horas inquinant canonicas ,
in trium Conciliorum legem commit-
tunt , quæ synopandi vitium removere à
divini officii celebratione omni conatu enixa-
sunt : Concilii Romani , in c. Dolentes , de
eck brat . Missarum : Concilii Viennensis ,
in Clementina prima , codem titulo : Con-
cilii Basiliensis , less. 21. 9. Qualiter horæ

QUEST. LXVII.

canonicae extra chorū dicendæ sint : int quo
§. est his verbis : Omnes beneficiati seu in «
facris instituti , si orationes suas Deo acce- «
ptas fore cupiunt , non in gutture , vel inter «
dentes , seu deglutiendo , aut syncopando «
dictiones ; nec colloquia , vel risus intermi- «
scendo ; sed sive soli , sive associati , diurnum «
nocturnumque officium reverenter verbisque «
distinctis peragant . S. Antoninus in 2. part. «
tit. 9. c. 12. §. 3. Negligentiam accusans eo-
rum , qui ecclesiasticam psalmódiam , non
qua decet pietate & decoro usurpat , hæc
scribit , atque hisce verbis : Secunda negli- «
gentia est , quando dicuntur horæ syncopan- «
do , dimittendo scilicet , vel verba , vel ver- «
sus , vel syllabas . Integrè enim , & complete «
persolvendæ sunt horæ : nana ipsarum perso- «
latio servitus dieitur : in servitio autem ali- «
cui debito debet quilibet esse fidelis , ut nec to-
apicem , vel iota prætereat ; sed integrè , sine «
fraude debitum persolvat . Si quis deberet «
quotidie persolvere alteri septem marchas , «
certè si aliquos denarios quotidie subtrahe- «
ret , non satisfaceret creditori : sic infideliter «
agit , qui in officiis syncopat ; quod repre- «
henditur in dicto capitulo Dolentes , de ce- «
lebr. Miss.

Exemplum de illo sancto patre , qui vi- 2-
dit diabolum in choro cuiusdam Monasterii
manere , cum fratres dicerent officium ; &
mittere sœpe in lacco , quem secum ferebat ;
& interrogatus à patre quid intermitteret :
respondit : quot verba , & syllabas , quas illi
dimittebant de officio , in futuro judicio ea
præsenturas ad punitionem negligentia eo-
rum . Sciscitari quispiam posset : & quodnam
verbum sit istud , syncopa , & syncopare :
Latinum , an Græcum , an Hebraicum , an
Arabicum . Respondeo , verbum esse Græ-
cum à verbo , οὐχ ἄπτω , quod est , con-
cio , unde existit οὐχ ἄπτη , quod valet con-
ciso , abscissio : sumitique pro ea Gram-
maticorum figura , quæ synope appellatur ,
quæ abscindit syllabam dictionis aliquujus ;
ut compostus , pro compositus . A modicis
quoque usurpatur pro quadam morbi gene-
re , quem syncopam dicunt ; de qua Galen-
nus ad Glauconem : Estque κυτάπως
δέσια Ε ἀθρόα δυνάμεως , id est , cele-
ris , ac subita universarum virium ruina .

sex prolapsio: quæ si robustior sit, remedio plerumque caret; si vires superfluit aliquæ, succurritur aliquando. Qui igitur aut propter oscitaciam in orando, aut propter nimiam celeritatem in pronuntiando, Grammaticorum utens syncopa, ecclesiasticarum horarum decurat verba, infringitque sententias, is in syncopam incidit animi tanto pejorem, quam corporis, quanto huic ille prestat: nam mōrbo corripitur animi mortifero, quo canctæ illius vires elīse atque concisæ continuo concidunt: ipséque animus miserabiliter & sempiterno, nūl expiat culpam, interitu contabescit.

Q U E S T I O L X V I I I .

2. **P**lures, ac ſepe, è me percunētati ſunt, num, qui beneficium perquam exile adepti ſunt ecclesiasticum, precum canonicanum neceſſaria lege teneantur, Respondi teneri: ſicque judicatum eſſe fermè ab omnibus, qui ea de re diſputarunt, uno excepto Soto, qui lib. 10. de iuſt. & jur. q. 5. art. 3. §. Dubiūm autera reſtat, reliquit ſcriptum, onere persolvendi divini oſticii ſoluta eſſe eum, qui beneficium obtinet, cuius fructus octo dumtaxat aureis aſtimari poſſint: ſed contraria ſententia & comiſſunis & vera eſt. Eſt Glosſæ, in c. Clericus, vietum. d. 91. quam Navarrus ait in Enchiridio de oratione, cap. 7. num. 27. à cunctis eſſe receptam. Eſt Hostiensis in cap. 1. de celebraſ. Miss. num. 19. Cardinalis, in Clementina 1. de celebraſ. Miss. quem citant & ſequuntur penè omnes Summarum ſcriptores, & Navarrus, in illo loco Enchiridii. Eſt D. Antonini, in 3. p. tit. 13. cap. 4. §. 1. Eſt Majoris, in 4. ſent. dist. 12. quæſt. 6. §. Colligendo ſparſam diſpa: Eſt Sylvestri, in verbo, Hora, num. 3. Eſt Tabienſe in verbo, Hora canonica, num. 2. Eſt Rosellæ, cod. tit. in principio. Eſt Armillæ, codem tit. non longè ab initio. Eſt Navarri, in Enchiridio, cap. 7. num. 27. & in Summa, cap. 25. num. 102. Glosſa, in cap. Illud, jama citato. D. Anton. Major & Sylvester aiunt, imputet ſibi, qui paſſus eſt le ad tale beneficium pro-

moveri. Admonet verò Hostiensis, ut vi-
tū ſupplementum honesto aliquo queritet
artificio.

Habéatque hæc ſententia rationem, quæ in promptu eſt. Iniquum enim eſt, cum
hic, de quo quæritur, in claſſe n conjectus
ſit beneficiariorum, & beneficio fruatur ec-
clieſiaſticō, ut ejus legis, quæ ſuæ eſt im-
poſita claſſi, nolit perferre jugum. Quod
ſi jugum canonicarum horarum ſuſtinere
nolit, dimittat beneficium: neque enī
Eccleſia ea mens eſt, ut ecclieſiaſtica in eos
conferantur beneficia, qui viciſſim ſibi, &
Deo diuinum nolunt reddere precando of-
ficiū.

Q U E S T I O L X I X .

PAulus ecclieſiaſticum beneficium adipiſ-
citur: ſed antequam in ejus poſſeſſionem
pedem ponat, lis ei à Joanne intenditur,
qui jure illud ſibi debet contendit: interea
fructus feſteſtro commandantur. Quæſiſit
Paulus, neceſſariæ lege teneatur dicendi
horas canonicas. Aequoream ſententiam ſe-
cūtus respondi, non teneri: propterea quod
juſ officiū divini persolvendi orando, in iis
qui Sacerdotia obtinent ecclieſiaſtica, oriut
ex pacata beneficiorum poſſeſſione, ac fru-
ctuum perceptione. Paludanus in 4. diſt.
15. q. 5. art. 1. conc. 5. beneficij poſſeſſo-
rem horis canonicas recitandis non addicte,
niſi poſt illius pacificam adeptam poſſeſſio-
nem. Cajet in Summa, verbo, Horæ canon-
icas, negat, eum, qui nec ſuī beneficij
poſſeſſionem, nec fructus habere potest, ca-
nonicarum horarum ritui obnoxiam eſſe. So-
tus lib. 10. de iuſt. & jur. quæſt. un. art. 3.
obligationem horas canonicas recitandi ma-
nare ſcribit vel ex ordine ſacro, vel ex mer-
cedis perceptione: cui perceptioni beneficij
poſſeſſio antecedere debet.

Hanc opinionem Navarrus in Enchiridio
de oratione & horis canonicas in eo probat,
qui nondum beneficio ecclieſiaſticō in ſe
collato affenſus eſt; quia beneficium non
fecit ſuum: ſecus in eo dicendum, qui eſt
collationi affenſus; ſi quidem ex collatione
eſt illi juſ in re acquiſitum; idque probat ex